

quasi injuria exasperatus, sed quasi praevericatus gratiam, majori esset offendae obnoxius.

ADOLESCENTIS OFFICIA, ET EXEMPLA HUIC AETATI PROPOSITA.

Quoniam igitur et poenam improbitati, et virtuti fore praemium satis claruit: de officiis aggrediamur dicere, quae nobis ab adolescentia spectanda sunt, ut cum aetate accrescant simul studia bonorum actuum. Est igitur bonorum adolescentium timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non aspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam, quae ornamento sunt minori aetati. Ut enim in senibus gravitas, in juvenibus alacritas, ita in adolescentibus verecundia, velut quadam dote commendatur naturae. Erat Isaac Deum timens, utpote Abrahae soboles, honorem deferens patri usque eo, ut adversus paternam voluntatem nec mortem recusaret. Joseph quoque cum somniasset, quod sol et luna et stellae adorarent eum, sedulum tamen obsequium deferebat patri: castus ita, ut ne sermonem quidem audire vellet nisi pudicum: humilius usque ad servitutem, verecundus usque ad fagam, patiens usque ad carcerem, remissor injuriae usque ad remunerationem. Cujus tanta verecudia fuit, ut comprehensus a muliere, vestem in manibus ejus fugiens mallet relinquere, quam verecundiam deponere. Moyses quoque et Hieremias, electi a Domino, ut oracula Dei praedicarent populo, quod poterant per gratiam, excusabant per verecundiam.

DE BONO VERECUNDIAE, QUOD MAXIME IN SANCTA DEI EMINUIT GENITRICE, ET QUOD GESTUS EXTERIORIS HOMINIS, PERSAEPE QUALITATEM INTERIORIS OSTENDAT.

Pulchra igitur virtus verecundiae et suavis gratia, quae non solum in factis, sed etiam in ipsis spectatur sermonibus: ne modum progrediaris loquendi, ne quid indecorum sermo resonet tuus. Speculum enim mentis, plerumque in verbis resulget. Ipsum vocis sonum librat modestia, ne cuiusquam